

nes, per phrasologias Enthusiasticis & perversis Mysticis familiares, scriptiones libellorum ex mysticis lacunis omnium religionum condasatorum, per praefationes hypocriticas ad pestilentissima etiam scripta, per doctrinarum Chiliasticarum inculcationes, excusationes & defensiones hominum manifeste Epicureorum & verbi contemptorum, per introductionem novarum interpretationum quae ex scriptis novatorum & Anti-Scripturariorum, plerumque exoticorum, petebantur, per separationes a publico cultu, per cantiones Fanaticas in vulgus disseminatas, per conventicula privata noctu diuque instituta, per contemptum infandum ministerii ipsius, sub specie quod ministri plerique sint irrogeniti, per frigiditas sententias de verbi & Sacramentorum natura & efficacia, per contemptum ceremoniarum innocentissimarum, ut confessionis privatae, & quae erant ejus generis, ac per multas alias innovationes paulatim insinuaretur, harum rerum omnium satis lugubrem eventum futurum, nisi mature medicina paretur, ore & scriptis pronunciarunt. Nunc post tot velitationes, accusationes, criminationes, jurgia, odia ipsis opposita, alii quoque quibus alias praeter rem clamitare & querelam instituere dicebantur, NUNC DEMUM, ubi in sinu eorum res pessimi exempli geritur, oculis quodammodo dilatatis intueri & agnoscere incipiunt, utinam etiam toto pectore conatus illos detestarentur, nec ex illo adhuc stercore Enniano ut aliquid auri colligeretur, elaborare mallent, quam ut Orthodoxis, erga quos animum bile impletum gerunt, penitius assentiantur. Nondum enim aliquis a Fanaticismi crimine prorsus liberatus est, etiamsi hodiernos Inspiratos animose aggrediatur, & vicissim ab illis duriter satis tractetur; Potest enim fieri, ut per latus nihilominus illorum causam ex alio capite satis suffulciat ac firmet, & prima quoque semina potuit sparsisse, etiamsi fructus inde pronascentes pro suis deinceps agoscere nolit.

§. III.